



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De flagitiis & auaritia Licinii. Cap. XLVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EIus generis Licinii fuere decreta. Quid oportet noua illius de nuptiis contrahendis instituta, aut nouas de his qui è vita cesserant, sanctiones enumerare? quibus veteres Romanorum leges, præclare & sapienter promulgatas, barbaris quibusdam & crudelibus in eorum locum introductis, abrogare ausus est? Quid infinita propè oppressiõnis genera cõtra subiectos suos ab ipso excogitata persequar? Quid terræ dimensiones ab ipso propter insatiabilem exactionum ingentium cupiditatẽ inuentas percenseam? quibus effecit, vt exigua terræ particula, quæ minimo locata erat, cum metiendo exploratũ esset quanti valeret, pro maiore pretio deinceps locaretur, Quid etiam hominum agricolarum quibus non amplius huius lucis vsura suppetebat, sed iam pridem erant morte extincti, census oratione complectar, quos vt turpem quæstum inde faceret, instituit: Nam eius auaritia nullum habuit modum, neq; inexplebilis animi auiditas omnino satiari potuit. Quapropter cum omnes thesauros auri, argenti, opumq; immensarum copia impleuisset, affectione tamen Tantalica animo conflictatus, cum gemitu de paupertate conquestus est. Quid porro exilia citem, quibus eos, qui nihil cuique intulissent iniuriæ, multauit? Quid bonorum publicationes? quid falsas criminationes, quas contra patricos & illustres viros confinxit, in memoriam reuocem? quorum teneras vxores, quò eas turpis flagitii ignominia deformaret, sceleratis & perditis seruis abutẽdas tradidit? Quid dicam de mulieribus, in matrimonium datis? quid de puellis virginitatis flore decoris, quas iste cum iam corporis vires senectute languerent, turpiter violauit? Quid istis rebus attinet, longum sermonem instituere, præsertim cum scelerum postremò ab eo editorum magnitudo, prima vel exigua esse, vel nulla potius arguat.

Quod denique persequi Christianos aggressus sit.

CAP. XLIX.

AD extremum namq; furor eius cœpit in ecclesias insultare: grassariq; in Episcopos, quos sibi maximè aduersari animaduerteteret. Quinetiam quos tum pic

Hh 3

tati